



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. III. In quonam Actu consistat Beatitudo formalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

Quando Patriarcha Jacobo fuit à filiis ex Ægypto redeuntibus nuntiatum, filium ejus Josephum adhuc vivere, & dominari in tota Ægypto, esseque Regi proximum, gaudium Jacobi procul dubio tam vehemens fuit, ut non admisisset ullam doloriferam tristitiam de malo valde exiguo tunc eveniente, v. g. si ovicula crus fregisset.

17. Ratio à priori est, quia malum comparative parvum potest fieri æstimabile & afflictivum per solam absentiam maximi boni: ergo presentia maximi boni tollit æstimabilitatem parvi mali. antecedens declaratur in allato exemplo. Fractio cruris unius oviculæ esset malum afflictivum hominis pauperis, non habentis, nisi unam aut alteram oviculam, & omni alio solatio destituti, licet non fuerit æstimabile malum Jacobo abundanti & gaudijs affluenti. Sic dives epulo unicam aquæ guttam maximi fecit constitutus in tormentis, & ejus carentia vehementer afflixit, etsi nihili eam fecisset constitutus in luxu prioris vitæ.

18. Observandum est. 2. Omnes beatos videre Deum secundum omnes perfectiones primarias, & in ratione Boni infiniti, & hoc sensu omnes esse æquales in beatitudine essentiali & quoad substantiam, & esse tantum inæquales in beatitudine accidentali, quatenus unus videt plures perfectiones seu attributa secundaria, hoc est, quatenus in Deo, ut in medio cognito, discernit plures respectus ad plures creaturas. Porro hujusmodi augmentum majoris intensiōis seu extensiōis, non est simile augmento rei materialis per partes æquæ æstimabiles secundum se seorsim, prout est additio unius aurei ad alios aureos, quia unus aureus secundum se est æquæ æstimabilis ac alter, nec unus est ex essentia sua additio ad alterum, sed potest seorsim consistere. Itaque augmentum beatitudinis accidentale est additio ex eo genere additionum, quæ ex essentia sua habent æstimabilitatem præcipuam ab eo, cui superadduntur, ut bene observavit P. Esparza q. 5. a. 3. Excessus ergo gaudij accidentalis habet suam æstimabilitatem præcipuam à gaudio substantiali, quod consistit in Visione Dei secundum attributa primaria.

19. Observandum. 3. Beatum non cognoscere quidditative gradus illos beatitudinis, quibus ipse caret, & quos habere potuisset, sunt enim infiniti; unde tam est impossibile, hos omnes gradus quidditative cognosci, quam est impossibile Deum comprehendere à creatura: cognoscit ergo tantum abstractivè; qui cognoscendi modus non est tam idoneus ad causandum dolorem de absentia boni, sicut est cognitio quidditativa, ut manifestum est. Nunc ergo

Dicendum est, Beatos ideo non posse tristari, inquietari, & angere molestè ob carentiam majoris beatitudinis, quia vis motiva cognitionis abstractivæ de illo gaudio accidentali absente penitus reprimatur à vehementia gaudij de bono infinito possessio; cui gaudio si comparatur illud

additamentum, quod ex visione plurium creaturarum superaddi posse beatitudini essentiali beatius abstractivè cognoscit, apparet gaudium exiguum, & per consequens, ejus carentia apparet malum exiguum, non sufficiens ad inducendum molestiam tristitiæ.

CONTROVERSIA III.

In quonam Actu consistat Beatitudo formalis.

20. Sicut Veritas alia dicitur objectiva, alia formalis, ita Beatitudo aliquando sumitur pro objecto Visionis Dei, amorisque consequentis, vocaturque *Beatitudo Objectiva*, & est ipse Deus, aliquando sumitur pro ipsa Visione vel amore, quibus videlicet efficitur possessores Beatitudinis objectivæ, & hac vocatur *Beatitudo Formalis*, seu possessio Beatitudinis.

Controversia est, an Beatitudo formalis consistat in visione Dei, an in amore beatifico consequente. Pro resolutione

21. Notandum est primò, quæstionem hanc quoad præcipuum punctum esse de modo loquendi, ut in progressu patebit: in re enim convenire omnes debent, nempe primum actum & velur originem caterorum in beatis esse Visionem Dei, & ad hanc sequi amorem, habentem pro fine CVI ipsum Deum; bona verò intrinseca Deo esse finem *cujus gratia*: sequi item gaudium quoddam reflexum de ipsa visione Dei, quod vocari solet à multis *Fruitio beatitudinis*: & quamvis hoc reflexum gaudium aliqui voluerint etiam esse de essentia beatitudinis formalis, rectius tamen excluditur cum S. Thoma, quia tale gaudium supponit jam possessam beatitudinem objectivam, nam de hac possessione gaudet beatus. Est ergo tota lis circa priores duos actus, cuinam ex illis ratio *Possessionis* conveniat; quæ lis utique tandem pendet ex acceptione & significatione hujus vocis, in qua, si semel Auctores convenirent, facile statueretur, in quonam actu consisteret *Possessio*. Si ergo hæc vox *Possessio* diversos sensus recipiat, fieri utique poterit, ut in uno sensu Visioni, in alio Amori conveniat. Pro quo ulterius

22. Notandum. 2. Possessionem hoc loco non accipi in sensu Juridico, in quo quis potest habere possessionem, & tamen carere dominio rei possessæ, & econtra potest esse dominus, & tamen carere possessione; sed accipi potius in sensu physico & intentionali, pro tali apprehensione objecti, vi cuius bonitas objecti nobis quasi appropriatur, & fit nostra. Potest autem hujusmodi appropriatio distingui in radicalem & formalem. Appropriatio radicalis erit illa cognitio objecti, quæ indispensabiliter post se trahat amorem objecti, & hujusmodi est Visio Dei: amor verò Dei erit appropriatio formalis, quia per ipsum amorem formaliter fiunt bona amati bona amantibus, ut deinceps declarabitur. Sicut ergo apud

Jure

Jure consultos vox *Possessio*, est æquivoca, & aliquando sumitur non pro ipsa actuali detentione rei, sed pro Jure detinendi & insistenti; aliter, quando verò pro ipsa actuali detentione rei; ita quando apud Theologos esse æquivoca vox *Possessio*, & aliquando sumi pro appropriatione radicali, adeoque pro ipsa Visione Dei, aliquando pro appropriatione formali, scilicet, ipso amore amicitiae. Aliud exemplum potest esse in voce *Marinismus*, seu *Conjugium*, quæ aliquando sumitur pro ipso actuali contractu mutuoque consensu, aliquando pro obligatione subsequente & perpetuo durante, seu pro indissolubilitate prioris consensu.

23. Notandum 3. quòd Logicè rem considerando, Beatitudo objectiva sit pars essentialis hujus concreti: *Beatus*: Immo est forma denominans, prout rectè contra Vasquez tradit Suarez, quamvis id non delectaret sufficienter: sed explicatis terminis res ipsa clara videtur. Si curam Albedo est forma denominans *Album*, sed non nisi mediante unione, ita finis ultimus, quem quærimus, dum cupimus esse beati & felices, est illud bonum, à quo possessio denominatur *Beati & felices*. v. g. qui suam felicitatem in honoribus quærit, honor erit forma denominans illum beatum: atqui Deus est noster finis ultimus, nam, ut omnes loquuntur, noster finis ultimus est bonum increatum: ergo Deus est nostra felicitas: ergo actus nostri, per quos Deum ut finem possidemus, non sunt adæquata forma denominans *Beatum*, sed sunt unio & moralis possessio boni beatis. Hinc rectè docuit noster Tanneus cum pluribus alijs, quòd si per impossibile Deus non esset talis, qualis à Beato esse videtur, & amatur, quòd, inquam, tunc visio & amor non foret sufficiens forma constituens beatum propriè dictum. Nam licet tunc illa visio & amor non minus delectarent, quàm delectant modò, hoc tamen non sufficit ad veram denominationem *Beati*; quia hæc delectatio non est finis ultimus & ut *Quod*, sed ut *Quo*, prout vocat S. Thomas.

24. Ratio à priori est, quia ille solus est beatus, teste S. Augustino, ab omnibus recepto, qui habet, quod vult, & nihil mali vult, seu, quod idem sonat: Beatus ille solus est, qui omnia, quæ vult, habet, nec aliquid vult, quod non deest, ut loquitur in Enchiridio: atqui in casu hypotheseis amans non haberet, quod veller; veller enim habere Deum verum, & non imaginarium: sed de hac hypothese, quæ vix potest utilem sensum habere, plura non addo.

25. Notandum 4. Cum Beatitudo nostra consistat in possessione Boni infiniti, debet consistere in tali actu, vi cuius in æstimatione nostra bona Dei intrinseca, & quæ comparatione nostri sunt bona aliena, ita fiant bona nostra, ut cum tali possessione non possit consistere vllum anxium desiderium de alio majore bono possiden-

do, alioquin non possideremus bonum infinitum quia tale. Pro quo

26. Notandum 5. Bona aliena, etiam illa, quæ physicè & realiter non possunt fieri nostra, posse tamen fieri nostra æstimatorè, per amorem amicitiae, qui est quædam metaphorica identificatio amantis cum amato: per hunc ergo amorem, quo amamus amicum propter bona jam in ipso reperta, & quæ illi gratulamur, atque de ijs gaudemus, hæc ipsa bona fiunt bona nostra, quia amando amicum ut finem *CVI*, transmutamur affectivè & metaphoricè in illum, & mediante hac conjunctione appropriamus nobis ejus bona, gaudendo de illis perinde ac si physicè essent nostra bona. Quo sensu Aristoteles 9. *Eth.* c. 4. dixit, amicitiam aliud non esse, quàm amare alios eo genere amoris, quem naturaliter habemus erga nos ipsos: quasi diceret, per amicitiam nos ita satiari, & delectari bonis amici, perinde ac si realiter nostra essent.

27. Hoc ipsum satis confirmat communis hominum sensus, receptis adagijs expressus: *Amicorum omnia communia*. *Amicus alter ego*: *Anima dimidium meæ*. Vnde S. Augustinus lib. 10. de *Trin.* c. 4. & cum eo S. Thomas 3. contra *Gent.* c. 116. asserunt, amorem Dei esse perfectam unionem ad ipsum; id autem, quod nobis unitur, sit nostrum. Adhuc elegantius hoc expressit S. Dionysius, dicens, quod amor transformet amantem in amatum, quasi affectivè identificando cum illo.

28. Notandum 6. Cum Card. Pallavicino, discrimen inter Amorem, quo gaudemus de bonis proprijs, habendo nos ipsos pro fine *CVI*, & inter amorem amicitiae, quo amamus amicum propter bona ipsius. Prior amor non est formalis appropriatio illorum bonorum, de quibus gaudemus, quia supponit illa jam antecederet appropriata nobis & possessa, gaudemus enim, quòd illa habeamus, & per illa boni sumus: at verò Amor Amicitiae, quo amamus alium propter bona in ipso reperta, supponit quidem illa bona jam appropriata amico, sed non supponit appropriata formaliter nobis: nam cognitio illorum bonorum, quam solum supponit amor, non est formalis appropriatio illorum bonorum sub ratione *Boni*, sed solum sub ratione *Veri*, quia non transformatur nos metaphoricè in amicum: multos enim cognoscimus esse bonos, nec tamen illos amamus ut amicos, nec bona illorum fiunt bona nostra.

29. Notandum 7. Quando quæritur in præsentia, an in sola visione Dei, vel in solo amore Dei consistat Beatitudo formalis, seu Possessio beatitudinis objectivæ, *ly sola* esse vocem æquivocam, habentem duplicem sensum valde diversum: primus est, an soli Visioni, & nulli alteri actui conveniat ratio Beatitudinis formalis: alter sensus est, an Visioni secundum se sumptæ, & prout contradistinctæ ab amore, competat hoc prædicatum: *esse Beatitudinem formalem*: quidquid sit, an etiam amori convenire possit; sicut, ex gr: quando duobus committitur Jurisdictio in

Etio in solidum, tunc de Petro potest dici: *Petrus solus potest cognoscere de causâ*: hoc est, consideratus sine Paulo: tamen etiam Paulus possit solus *Jus* dicere. His observatis non erit difficile, Autores in hoc puncto dissentientes conciliare.

30. Prima sententia est, Beatitudinem formalem in sola Visione consistere, & nullo modo in Amore. Ita Thomista, & communiter alij, tribuentes eam S. Thomæ, quem tamen Card. Pallav. q. 2. a. 7. à n. 4. subtiliter explicare conatur pro tertia sententia.

Secunda Sententia constituit in solo amore amicitia, excludendo Visionem, tanquam partem constitutivam. Ita Scotus cum suis.

Tertia Sententia est, Beatitudinem formalem utrumque actum formaliter & ex æquo includere. Ita Suarez, Pallav. Comptonus.

Existimo, inquam, has opiniones conciliari posse, si ostendam, pro diversâ acceptione Possessionis jam in sola visione, jam in solo amore, jam in utroque simul sumpto, consistere Possessionem beatitudinis objectivæ, ita ut omnes illa acceptiones sint legitimæ & vnitatæ.

31. DICO itaque primò. Intelligendo per *Possessionem Beatitudinis objectivæ* illum actum, qui ita conjungit intentionaliter nobis Beatitudinem objectivam, nempe D E V M, ut sit essentialiter ac primò exclusivus omnis anxietatis & sollicitudinis, & sic saltem radicaliter satisfactus, hoc, inquam, sensu sola Visio Dei est beatitudo formalis, & non amor beatificus; & in hoc sensu est vera prima sententia. Duo mihi probanda sunt. Primum, quòd Visioni beata ea omnia convenient, quæ posita sunt. Secundum: quòd hæc *possessionis* acceptio, sit vnitata. Primum facile probatur, observando quòd Visio beata explicitissime advertat, Deum esse bonum necessitans ad sui amorem, & nullum adesse illius amoris impedimentum, & tam Visionem quam amorem duraturos æternum. Hoc ipso enim excluditur per visionem Dei omnis anxietas: quomodo enim possum esse sollicitus pro aliqua re, quam video me in hoc instanti infallibiliter habere, quamvis pro posteriori naturæ? Porro Visio est primus actus Beatorum: ergo nulli alteri convenit hoc prædicatum: esse primò exclusivum omnis anxietatis.

32. Probo jam secundam partem auctoritate Scripturæ S. quæ sæpe beatitudinem formalem tribuit Visioni: sed non potuit tribuere in alio sensu, quam assignato: ergo sensus ille est vnitatus & legitimus. Jo. 17. dicitur. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti JESUM CHRISTUM.* Verum, quia hic locus à multis intelligitur de cognitione fidei meritoria in hac vita, ideo melius probatur ex 1. Jo. 3. *Scimus, quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* ubi per similitudinem cum Deo, intelligitur ejus possessio. Matth. 18. *Videte ne contemnatis unum*

ex his pusillis, Angeli enim eorum semper vident faciem Patris: i. e. sunt beati.

33. Accedit auctoritas Patrum. S. Augustinus l. 22. de Civit. c. 29. & Concione 2. in ps. 90. *Videtur, inquit, est tota merces, atqui possessio Beatitudinis est merces: ergo visio est possessio.* Et iterum lib. 1. retract. c. 14. *Illud, inquit, beatissimos facit, quod scriptum est: tunc enim faciem ad faciem: & tunc cognoscam, sicut & cognitus sum: qui enim hoc invenerint, illi sunt in beatitudinis possessione.*

Cyrrillus lib. 3. c. Julian. *Hæc, inquit, vera Dei contemplatio est pretiosior, quandoquidem non summæ beatitudinis facit esse participes.* Neque possunt hæc accipi, nisi violenter, de possessione causali, aliquin etiam de lumine gloriæ idem dici posset.

S. Hieronymus in ps. 89. *Deum videre, inquit, infinita corona est, & magna felicitas.* Quæ verba, ut vera sint, accipienda sunt de possessione Boni infiniti, nam Visio secundum se non est bonum infinitum.

Gregorius Nyssenus. De Beatitudinib. circa sextam promiss. *quoniam ipsi Deum videbunt. Quid aliud, inquit, desiderabit, cum omnia habeantur in eo, quem videt: nam: videre: in vsu Scripturæ Sacre idem significat, quod: habere.*

Accedat Concilium Francofortiense in ep. ad Episc. Hisp. in fine. *Predicamus eum Deum verum & vivum, ac verè Filium Dei, ut ad ejus beatissimam Visionem pervenire mereamur, in qua est vera beatitudo & beata æternitas.*

34. Probatur nunc etiam à paritate cum Possessione Juridica. Sicut enim ille actus dicitur possessio libera respectu vñs & fruitionis liberæ & licitæ alicujus rei, quo rem ita nobis conjungimus, ut vi illius possimus absque alterius actus interventu liberè & licitè vi & frui tali re, ita sine vñlo inconvenienti ille actus dicitur *possessio* respectu vñs necessarii & fruitionis necessariæ, quo rem nobis ita conjungimus, ut vi illius conjunctionis necessariò sequatur vñs & fructio illius rei, quando illius rei non datur alius vñs & fructio: subsumo. Sed non datur alius vñs & fructio Dei, quam quæ habetur per amorem amicitia, consequentem necessariò ad visionem illius: ergo visio rectè dicitur *Possessio Dei*.

35. DICO 2. Intelligendo nomine Possessionis illum actum, quo non merè causaliter, sed formaliter Bona Dei sunt Bona Beatorum, Amor amicitia secundum se solus, & non visio Dei est Beatitudo formalis: & hæc acceptio Possessionis est etiam vnitata. Pater Conclusio quoad primam partem ex præmissis *Notandis*: Nam ut bona amici fiant formaliter bona amantis amicum, non est satis, amicum cognosci ut bonum, sed debet amicus in amicum transformari & metaphorice identificari cum illo: sed hæc metaphorica identificatio non habetur formaliter, nisi per amorem & affectum illum, quo gaudemus de bonis amici ut nostri finis CFI: ergo &c.

Proba-

Probatum jam secunda pars Conclusionis
authoritate S. Augustini lib. 10. *Confess.* c. 21. &c.
22. & 23. Omnes, inquit, gaudium vitam beatam
vitant, & : Ipsa est beata vita, Gaudere, ô Deus,
à te, de te, propter te. & iterum. Beata vita est
gaudium de Veritate. Denique lib. 8. de *Civit.* c. 9.
laudat Platonis dictum. Summum bonum esse a-
mari Deum.

46. Habet etiam hæc acceptio fundamen-
tum in possessione juridica, quæ potissimum con-
sistit in animi dominio, hoc est, in actu volun-
tatis, quo rem tanquam nostram decernere volu-
mus, hic ergo Amor Dei est actus voluntatis, quo
Beatæ de bonis Dei perinde ac de suis gaudet.
Hinc etiam patet responsio ad argumentum D.
Thomæ q. 3. a. 4. in C.

Thomæ q. 3. a. 4. in C.
57. DICO 3. Loquendo de Possessione beatitudinis obiectivæ magis strictæ, illa rectè dicitur consistere in vtroque actu, visione nimirum et amore simul sumptis. Declaratur. Possessio enim strictè sumi potest pro appropriatione bonorum alienorum stabili & securâ, cum certificatione nunquam amittendi: sed hac ratione includit vtique actum: nam Visio primo omnium certificat formaliter, est enim actus iudicij de perpetuitate tum visionis, tum amoris (consensu, quo postea explicabitur) deinde Amor est actus formaliter approprians bona aliena, & vel maxime delectans ea delectatione, quæ attribuitur beatitudini formali.

3. Confirmatur. Per beatitudinem formalem, completè sumptam, rectè intelligitur complexum ex illis actibus, qui in patria immediate veniantur circa perfectiones divinas, tanquam motuum suum: sed tam visioni, quam amorì hoc convenit; ergo uterque simul est beatitudo formalis, strictè & completè sumpta. Et sic patet, tres relatis sententias in eo solum differre, quòd magis placeat hæc, quam illi acceptio *Possessionis*, cum tamen omnes sint propriæ.

CONTROVERSIA IV.

*Quomodo Perpetuitas Beatitudinis for-
malis cognoscatur à Beatis.*

Conueniunt DD. quòd ad consummationem
beatiitudinis pertineat, vt Bearus aliquo mo-
do cognoscat, & quidem certitudine metaphy-
sica, se Bonum infinitum possellurum in æternum.
Quæstio est, quomodo, & per quam cognitionem
id cognoscat.

P. Martinus Esparza docet, Visionem Dei
videre, se determinatè duraturam æternum, vi-
dendo decretum Dei de ea æternum conservan-
da.

39. DICO 1. Repugnare Visionem Dei videre determinatè, se aeternum duraturam, in decreto Dei. Ita cum communi docent Card. de Lugo & Ant. Perez. Probatur. Si visio vide-

ret, se hoc modo perpetuò duraturam, esset ex
intrinsicò prædicatò indispensabiliter æterna à
parte post: consequens est absurdum. Ergo.
Sequelam concedit P. Esparza, & facîle demon-
stratur: haberet enim visio ex intrinsicò prædi-
catò essentialè connexionem cum hoc deter-
minatò decreto, tanquam suo objecto, & vtputè
essentialiter vera. Decretum verò, vtputè effi-
cax, est pariter connexum cum conservatiòne
æterna visionis. Sequelam autem esse absurdam,
probat communiter: quia Ens, ex intrinsicò
prædicatò indestruibile, præjudicaret perfectissi-
mo dominio Dei: ad hoc enim spectat, posse
quæcumque creaturam, potentia antecedente,
pro libitu destruere, & hoc apud Theologos adeò
receptum est, vt Vasquez i. p. d. 182. n. 9. dixerit,
oppositum erroris notam mereri: & Suarez lib.
2. d. Angel. putaverit, hoc esse de fide, quod etiam
asserit Tannerus i. p. d. 5. q. 1. dub. 3. n. 15.

40. Respondet tacitè P. Esparza, hæc intelligenda esse de Ente, quod ob sui perfectionem esset indestruibile, non verò de Ente, quod præcisè propter connexionem cum decreto Dei esset indestruibile.

Sed contra est primò. Visio, videns se essentialiter duraturam in decreto Dei, est vtique perfectior, quàm esset visio non videns huiusmodi sui durationem, qualis à multis creditur fuisse concessa S. Paulo, Moyfi, & Beatissimæ Virgini in hac vita: ergo huiusmodi indefectibilitas provenit ex maiori perfectione visionis.

41. Confirmatur. Illud est perfectius, quod est magis propinquum fini, & participat plus de perfectione divina : sed visio, ratione hujus essentialis indestruibilitatis, est propinquior fini, immo est ipse finis hominis, & participat plus de perfectione divinâ, nempe essentialem perpetuitatem : ergo repugnat hanc indestruibilitatem intrinsecam non arguere majorem perfectionem, quam aliud Ens destruibile ceteris paribus.

42. Contra 2. Omnis diversitas specifica (secundum P. Esparza) fundatur in inaequalitate perfectionis: sed visio essentialiter durans est specie diversa ab ea, quae non essentialiter durat: ergo haec diversitas specifica fundatur in inaequalitate perfectionis.

45. Probatur jam Conclusio 2. ad hominem contra P. Elparca, qui contra Recentiores docet, nullum actum vitalem esse sui ipsius durationem, sed durare per durationem distinctam, tollentem indifferentiam actus ad hoc vel illud tempus: vnde sic argumentor. Si visio beata videret se æternum duraturam, in quantum habet connexionem cum decreto præsentis, sequeretur, visionem A. ex intrinseco prædicato consistere in instanti A. & non potuisse incipere prius aut posterius, siquæ esset essentialiter alligata certæ distantie temporis: consequens est contra principium jam relatum hujus Authoris. Ergo. Sequelam proba. Visio A. esset essentialiter

V 2

connexa